

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XVI. De extremitatum superiorum venis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

CAP. XVI.

De extremitatum superiorum venis.

§. I.

Digitorum & manus. **D**igitorum atque manus venæ, in metacarpo plures areolas formantes, multisque anastomosibus inter se iunctæ, in antibrachii venas abeunt: *Salvatella*, in dactilo auriculari oriens atque per manus dorsum producta, venæ cubitalis radix est. Inter pollicem eiusque metacarpum *pollicis cephalica* obvia venæ radialis externæ radix est.

§. II.

Antibrachii vena. **V**ena cubitalis interna in latere antibrachii interno, & cubitalis externa in externo, ascendentis, basilicæ radices sunt, atque cum venis, arteriæ brachilis satellitibus, nec non cum vena antibrachii profunda, plures anastomoses nectunt. Vena *antibrachii profunda*, interosseam atque venosas musculorum radii, carpi ac manus radiculos accipiens, in interno antibrachii latere, e regione ligamenti interossei assurgens, medianæ atque basilicæ coniunctioni immittitur. Venæ radii externa atque interna, in utroque latere radiculos, crebrioribus anastomosibus inter se iunctas, accipientes, in radii superficie externa atque interna, inter se propemodum parallelæ, ascendunt, atque in externo flexuræ cubiti latere venæ cephalicæ inseruntur. A venarum basilicæ



atque cephalicæ concursu, in cubiti flexura, vena mediana efficitur, in quam profunda inferior, inter cubiti musculos assurgens, aliisque ramus, cum vena cephalica pollicis connexus, abeunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. 11.

§. III.

In brachio radices muscularum venosæ *Brachii*
(arteriæ brachialis *venæ satellites*) & sub hu-^{venæ}meri collo vena profunda superior, atque sub ossis humeri capite vena articularis, seu infrahumeralis in venam *basilicam*, in interiori brachii latere ascendentem abeunt, atque hæc dein, prope humeri caput, axillaris nomen recipit. Plures etiam venosæ muscularum radices in *cephalicam*, in externo musculi bicipitis latere, atque inter detoidei ac pectoralis magni tendines, ascendentem se se exonerant, quæ venæ axillaris ad ossis humeri inserta radix est, cui etiam, brevi ante hanc insertionem, *cephalica parva* immittitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. 11. lit. D. & E. *De Haller icon. anat. fasc. VI.* tab. III. fig. 4.

§. III.

Venæ musculares internæ atque externæ *Vena axili-*
(axillares internæ & externæ) a scapulæ *lares.*
musculis v. c. trapezio, elevatore scapulæ,
infraspinato, subscapulari &c. & glandulis
axillaribus venientes, *thoracica superior*, a
mammis atque musculo utroque pectorali
assurgens, atque *thoracica inferior*, radicu-

las venosas a musculis subscapulari, rotundis, infra spinato, pectorali maiori, spinoso dorsi magno, atque glandulis axillaribus accipiens, *venæ axillari* immittuntur, quæ in pectoris cavitatem declinans, *venæ subclaviæ* nomen recipit. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. II. lit. Θ. & tab. XXVI.

Obs. In viro vena subclavia dextra ex duobus constabat radicibus, iam ad axillarem incipientibus, quæ ad iugularis internæ ostium demum confluabant, facta insula quinque transversos digitos longâ. Vid. *J. B. Morgagni* de sedibus & caussis morborum per anatomem detectis lib. V. ep. LXIX. art. II.

CAP. XVII.

De venis pectoris.

§. I.

*Vena sub-
clavia.*

Venarum subclaviarum, sub alviculis incedentium, dextra brevior est, atque fere ad perpendicularm descendit, sinistra vero longior est, situque magis horizontali gaudet. Venas vertebrales & iugulares non nullas pectorales minores, atque, in latere suo externo, venam ab axilla venientem recipiunt. Vid. *J. B. Morgagni* epist. anat. XV. art. XXXVIII. atque in cavæ superioris truncum confluunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. II. lit. e.